

1539  
*Cæsaris ad  
 Senatum  
 responsum.*

tradi mandaret. Ad hæc Cæsar respondit : difficulter hostium ditiones vel temporis angustia, vel commeatuum inopia bello peti posse : quocirca omne studium ad hostium propulsandos conatus adhibendum esse : at si eos invadendos Senatus censeret, ut præsens adesset, se enixurum : sin autem insequentem annum expeditionem differri placuisset, libenter ab Italico itinere superfessurum : quod vero ad frumenta, commeatusque spectaret, iis retentis, quæ Neapolitanis, ac Siculis ad victum necessaria essent, reliqua præbiturum : demum Neocastrum ex foedere redditurum : at æquum sibi videri, ut præsidiariorum militum stipendia a foederatorum singulis, iustis portionibus, penderentur. Hoc Cæsaris responso ex Petri Mocenici oratoris literis intellecto, mirum in modum Patres commoti fuere ; cum præclaris pollicitis, ac magnificis Cæsaris sermonibus eo rem deductam cernerent, ut cum ingenti, tantoque tempore conquisito apparatu, Carolus adversus hostes iturus crederetur, nihil veris initio promptum, atque expeditum esset : minax Suleimanus terra, marique fureret : Respublica ad universam belli molem sustinendam cogeretur. Inde omnia Venetis suspecta reddebantur, plerisque contracto cum Turcis bello haud exigua Cæsari commoda accedere affirmantibus, quod Rempublicam difficillimo cum potentissimo hoste bello distineret, Venetorumque viribus, ac potentia sibi accedentibus, tutior a Regis Galliarum semper suspectis consiliis redderetur.

*Venetorum  
 inclinatio  
 ad pacem et  
 Suleimano  
 ineundam.*

Hæc dum sedulo Patres meditarentur, crebrisque consultationibus de præsentis rerum statu, de hostium potentia, de Reipublicæ sociorumque viribus, & auxiliis disceptarent, eo deducebantur, ut potius de pace ineunda, quam de bello inferendo cogitarent. Neque vero difficile, ut concordia æquis conditionibus iniretur, rebantur fore ; cum Suleimanus, ut a societate Cæsaris Rempublicam abstraheret, nihil prætermisurus videretur. Spem duo auxerant ; alterum, quod Franciscus Barbadicus, Alexandrinarum triremium præfectus, Byzantio significaverat, Venetis mercatoribus e custodia eductis, mutuis datis vadibus, libere ultro citroque commeandi, & intermissa negotia repetendi facultatem concessam fuisse ; alterum, quod cum Jacobus Cornelius, Divi Marci procurator, Antonium Me-

tho-